



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 20. Judæi a Parthis mulctati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum I.
A. C. 37.

tur mihi esse tanta malitia, quanta est infelicitas, quod sibi persuadere non possint, me divinæ naturæ esse participem. Tum recedens, & ipsos abire iussit. Sic Judæorum legati ab Imperatore Caligula habiti, quos, ut erigeret Philo, ajebat: *Jos. XVIII. Mañti animo simus, si tantam in nos iracundiam verbis ostendit Cajus; Deus effectus nos proteget.*

§. XX.

Judæi male habiti apud Parthos.

*Ibid. c. 10.
p. 644.*

Eodem tempore Judæi apud Parthos, in Mesopotamia, & Babylonia vexabantur, ubi inaudita eorum multitudo neci data. Nisibis, & Naharda munitæ urbes ad Euphratis oram plurimos numerabant Judæos; ibi pecuniæ deponebantur, quas ex hac Provincia mittebant Jerusalemam. Duo Judæi Naharditæ, Asineus & Anileus fratres, collecta sponte addicentium manu, rapto vivere cœperunt, tantumque sparserunt terrorem, ut fama ad Artabanum Parthorum Regem pervenerit; voluit eos sibi sisti, & Asineo Babyloniæ Præturam contulit, quam tenuit quindecim annis cum libera in Mesopotamia potestate. Ab eo frater ejus Anileus accepit potentiam, sed eam servare ineptus, Babyloniorum odium incurrit, qui nocte irruentes eum vitam exuunt,

exuunt, & copias delent. Hoc obstacu-
lo remoto antiquum in Judæos odium
exercent, quod ex morum contrarietate
ortum trahebat. Judæi vero, cum eo-
rum insultibus, & violentiæ resistere non
valerent, & tolerare nollent; Seleuciam
transferunt, ubi eorum numerus paulo
post increvit, accessu illorum, quos pe-
stis, Babylone grassata, fugabat. Erat
Seleucia prima hujus Regionis civitas,
a Seleuco Nicanore fundata, magna mul-
titudine Græcorum, Syrorumque habita-
ta; inter quas nationes magna semper
fuerat ingeniorum oppositio; sed poten-
tiores erant Græci; tunc vero Syri ad-
ventu Judæorum invalescebant; quare
jam Græci meditabantur, quomodo eos
dividerent; & ipsimet Syris juncti, in-
genti rabie subito in Judæos invehuntur,
quorum ultra 50. millia trucidata. Ami-
ci, vicinique misericordia movente qui-
busdam illorum saluti fuere, qui fuge-
runt Ctesiphonem, urbem Græcam, Se-
leuciæ vicinam; majorem ibi securita-
tem sperabant, ob Regis Parthorum Re-
verentiam, qui ibi hiemare solebat. In-
terea Judæi continuis terroribus ange-
bantur, cum scirent Syrios, seu hujus Ter-
ræ indigenas cum Seleucidis in suam inter-
necionem conjurasse. Hic fuit status Ju-
dæorum in illis Orientis partibus; sicque
Numinis manifesta vindicta in eos ubique
inclarescere cœpit.

D 3

§. XXI.

Sæculum I.
A. C. 37.